

qui causam haberet ab eis, auferre pedagium aliquod ad portam Januæ prædictis Alexandrinis, quia prædictis Vicecomitibus de suo pedagio commune Alexandriae scontrum dedit, & ad beneplacitum eorum satisfecit, ut in quodam publico instrumento continetur ostenso a prædictis Alexandrinis: & salvo quod si commune Januæ voluerit dare communi Alexandriae libras DC. Papienses quolibet anno, quod liceat communi Januæ pedagia tollere Alexandrinis, secundum quod aliis hominibus tollent, data electione communi Januæ si voluerit aliquo anno, vel quolibet anno mutare, & quam electionem faciat commune Januæ omni anno in XV. dies ante kalendas januarii, & quod dictos denarios debet solvere commune Januæ tertiam partem in pascha majori, & aliam tertiam partem in S. Petro, & reliquam tertiam partem in S. Michaelis expensis Januensium.

VI. Item quod si aliquis civis Alexandrinus dixerit, aut fecerit merces alterius hominis suas esse ad portam Januæ, ubi pedagium colligitur ad hoc, ut pedagium non solvatur communi Januæ, merces illæ ipso jure perveniant communi Januæ.

VII. Item quod D. Anselmus de Foro, & Rufinus filius ejus civis Alexandriae debeant habere super prædictis pedagogiis usque ad libras L. Papienses, scilicet a communi Alexandriae de prædictis libris DC. Papiensibus, si commune Januæ non eligeret solvere libras DC.; & si commune Januæ non eligeret solvere libras DC., debeant habere, & colligere denarios XII. Papienses pro qualibet soma Alexandrina, quæ inde exhibit de Janua, quousque fuerit satisfactum prædictis patri, & filio de prædictis libris L. Papiensibus, & non plus, & quos denarios habere debent pro pretio pedagogii unius denarii, quod dicebant se debere habere super pedagio de Gavio: & quod ipsi pater, & filius debeant facere finem, & datum de omni jure, quod habent in prædicto pedagio occasione prædicti denarii unius pro soma communis Januæ, & quod de cetero prædicti pater, & filius, nec sui heredes possint, nec debeant prædictum pedagium unius denarii tollere, & habere, ex quo habuerint prædictas libras L. Papienses, & prædicta præcepit commune Mediolani observari debere ab unoquoque communi, scilicet Januæ, & Alexandriae.

VIII. Item pronunciamus commune Januæ non teneri ad restitutionem de libris mille pro quolibet anno de annis XVII., quos denarios dicit commune Alexandriae, Januense commune abstulisse Alexandriae occasione prædictorum pedagogiorum.

IX. Item quod murus castri de Capriata omnino destruaturs infra duos menses, & parengata similiter illius castri de Capriata auferatur, & de cetero non restituatur ibi, nec fiat murus, nec parengata.

X. Item ut parengata de Bellefredi, quæ, vel qui sunt super costas fossati illius loci, seu villæ omnino removeantur . . . infra menses duos, & ut fossata facta in ipsa villa . . . vel circa totam villam . . . a V. annis infra, & circa prædictum castrum omnino explanentur, nec de cetero fiant, & quæ destructiones per homines fiant de Capriata.

XI. Item pronunciamus communi Januæ, & Januensibus, & communi Alexandriae, & Alexandri-

nis, ut de hinc ad quinque annos nullo modo per commune, aut per divisum debeant se intromittere de castro Capriatæ, neque de villa . . . nec de ejus territorio, neque de jurisdictione castri, aut loci . . . nec aliquam munitionem . . . aut ædificium facere in ipso loco, aut castro, vel territorio, nisi de consensu prædictarum civitatum, & salvo, quod si aliquæ singulares personæ prædictarum civitatum haberent aliquas possessiones in territorio ipsius loci, quod liceat eis eas colere, vel coli facere, & earum fructus colligere . . . & ut nullam offensionem facere debeant hominibus illius castri, sive loci occasione guerræ proxime præteritæ, & transactis prædictis quinque annis, duo boni, & legales homines, scilicet unius a communi Januæ, & alterius a communi Alexandriae eligantur qui ambo debeant cognosci super jure cujuslibet civitatis, quod habeat aliqua ipsarum civitatum super jurisdictione ipsius loci, aut super castro, aut loco; ita quod illa quæstio debeat definiri sine aliqua porrectione libelli . . . infra quatuor menses. Ex quo isti ambo electi inceperint illam quæstionem audire, & quod neutra prædictarum civitatum debeat se intromittere de prædicto castro, & loco, & ejus territorio, & jurisdictione ejusdem post prædictos quinque annos, quousque fuerit prædicta quæstio definita, & terminata infra prædictos quatuor menses.

XII. Item præcipimus communi Januæ, & Januensibus, & communi Alexandriae, & Alexandrinis, ut omni modo prohibeant illos homines, qui auxilium præstiterint de hac guerra proxime præterita eis, sive alicui eorum prædictarum civitatum, ne aliquam offensionem faciant hominibus de loco Capriatæ in persona, neque in rebus; & ut Januenses destruant, aut destrui faciant trabucum, sive trabucos, & mangano, & pradarias, & alias machinas, quæ, & quas habent in ipso castro loco de Capriata, & pontem faciant ad alium locum.

XIII. Item præcipimus communibus, & hominibus prædictarum civitatum, ut de cetero non faciant, nec fieri faciant, nec permittant facere aliquem coadjutorem alicujus illarum civitatum in castro illius loci, nec in ipso loco, nec in ejus territorio aliquid munimen, nec turrim, nec aliquod ædificium causa munitionis, nec fossatum, nec parengatam, nec spinatam, vel beltefredum nisi communi consilio tam Januæ, quam Alexandriae.

XIV. Item præcipimus, ut nullus homo de cetero usque ad prædictum terminum vadat ad standum in prædicto castro, & loco de Capriata . . . nec etiam post prædictum terminum, donec prædicta quæstio fuerit cognita, & decisa, & quod communia prædictarum civitatum, scilicet Januæ, & Alexandriae debeat prohibere, ne aliquis de prædicta civitate, aut de ejus districtu vadat illuc ad habitandum, donec prædicta quæstio fuerit determinata, & sopita.

XV. Item præcipimus, ut possessio castri Mursafchi restituatur D. Gulielmo de Bosco, salvo omni jure, quod habet commune Alexandriae in ipso castro, seu pro ipso castro, aut contra ipsum Gulielmum marchionem.